

esse causam peccati, sed voluntatem Diaboli & hominis, Hoc est, Deum non velle; non approbare peccatum, nec impellere voluntates ad peccandum.

11. Quia 1. Deus est bonus, non est in eo peccatum, non facit peccatum. *Matth. 19 v. 17. Marc. 10. v. 18. Luc. 11. v. 13. Psal. 118. v. 1. 29. Psalm. 119. v. 68. 1. Ioh. 1. v. 5. Sophon. 3. v. 5. Psalm. 33. v. 4. Psalm. 11. v. 7.*

12. 2. Quia peccatum, quod extra Deum in mundo est, non est res in principio condita à Deo, nec ita ordinata. *Psalm. 119 vers. 91. Genes. 1 v. 31 cap. 3. v. 6. cap. 6. v. 5. 6. 1. Iohan. 2. vers. 16.*

13. 3. Postquam invidia Diaboli, *Sap. 2. vers. 24.* & per unum hominem *Rom 5. v. 12.* peccatum introiit in mundum; quando designantur scelera, non fit hoc volente vel approbante Deo, sed Deus odit peccatum, & horribiliter irascitur, non tantum originali corruptioni, sed & actualibus peccatis. *Psal. 5. v. 5. Esa. 65. v. 12.* Quò pertinet *λύτρωσις* filii Dei pro peccatis mundi. Inde enim colligitur, quàm immensa fuerit offensio voluntatis divinæ ex peccato generis humani.

14. 4. Deus non impellit, nec allicit voluntates ad peccandum, *Iac. 1. v. 13.* sed diabolus *Act. 5. v. 3. 1. Thess. 3. v. 5.*

15. 5. Prima causa peccati est Diaboli voluntas; idq; duplici ratione. 1. quia in veritate